

magis et magis efficacia , quam motus ; motum enim in se omnino continent, pro fundamentoque suo materiam Corporis habent ; propter quam materiales et naturales nuncupantur.

§. 7. Verum non sunt solitariae : nam praeter eas dantur etiam aliae vires efficaciores , quae a nulla materia quidem pendent, impetum autem validissimum materiae suppeditant, atque perficiuntur in corpore quam celerrime, jam quidem cogitatione, jam vero et voluntate.

Quae cum congruenter animales appellatae fuerint, animam pro causa sua solitaria, primoque principio agnoscunt. Nulla enim alia vis praeter eam, illas efficere potest ; nec est quidquam quod illis, vel etiam prioribus impetum dare queat (§. 6.) : quum materia qua totum hoc corpus compactum est, plane ad id sit iners. Materia enim crassa fundamentum et vim motui praebet (§. 6.), ne-tiquam vero fieri potest illa ipsa sui motus causa (p) ; alias enim esset ens se ipsum movens : quod contrarium est, tam experientiae, quam rerum naturae, ut ex mechanicis lucide apparet.

§. 8. Primarium itaque aliquod movens querendum est, materiae expers ; id ergo anima est ;

quae

---

(p) id. ib. §. 556. sequ.